

PETRONIUS: A WEREWOLF STORY

1 Cum adhuc servirem, habitabamus in vico angusto; nunc Gavillae
2 domus est. Ibi, quomodo dii volunt, amare coepi uxorem Terentii coponis;
3 noveratis Melissam Tarentinam, pulcherrimum bacciballum. Sed ego non
4 mehercules corporaliter illam aut propter res venerias curavi, sed magis
5 quod benemoria fuit. Si quid ab illa petii, nunquam mihi negatum; fecit
6 assem, semissem habui; in illius sinum demandavi, nec unquam fefellitus
7 sum.

8 Huius contubernalis ad villam supremum diem obiit. Itaque per
9 scutum per ocream egi aginavi, quemadmodum ad illam pervenirem:
10 [nam ut] aiunt, in angustiis amici apparent.

11 Forte dominus Capuam exierat ad scruta expedienda. Nactus ego
12 occasionem persuadeo hospitem nostrum, ut mecum ad quintum
13 miliarium veniat. Erat autem miles, fortis tanquam Orcus. Apoculamus
14 nos circa gallicinia, luna lucebat tanquam meridie. Venimus inter
15 monimenta: homo meus coepit ad stelas facere, sedeo ego cantabundus et
16 stelas numero. Deinde ut respexi ad commitem, ille exiit se et omnia
17 vestimenta secundum viam posuit. Mihi anima in naso esse, stabam
18 tanquam mortuus. At ille circumminxit vestimenta sua, et subito lupo
19 factus est. Nolite me iocari putare; ut mentiar, nullius patrimonium tanti
20 facio. Sed, quod coeperam dicere, postquam lupo factus est, ululare
21 coepit et in silvas fugit.

22 Ego primitus nesciebam ubi essem, deinde accessi, ut vestimenta eius
23 tollerem: illa autem lapidea facta sunt. Qui mori timore nisi ego? Gladium
24 tamen strinxi et in tota via umbras cecidi, donec ad villam amicae meae
25 pervenirem. Larva intravi, paene animam ebullivi, sudor mihi per
26 bifurcum undabat, oculi mortui, vix unquam refectus sum. Melissa mea
27 mirari coepit, quod tam sero ambularem, et 'Si ante' inquit 'venisses,
28 saltem nobis adiutasses; lupo enim villam intravit et omnia pecora
29 [momordit], tanquam lanius sanguinem illis misit. Nec tamen derisit,
30 etiam si fugit; servus enim noster lancea collum eius traiecit.'

31 Haec ut audivi, operire oculos amplius non potui, sed luce clara Gai
32 nostri domum fugi tanquam copo compilatus, et postquam veni in illum
33 locum, in quo lapidea vestimenta erant facta, nihil inveni nisi sanguinem.
34 Ut vero domum veni, iacebat miles meus in lecto tanquam bovis, et collum
35 illius medicus curabat. Intellexi illum versipellem esse, nec postea cum illo
36 panem gustare potui, non si me occidisses.

37 Viderint alii quid de hoc exopinissent; ego si mentior, genios vestros
38 iratos habeam.